

turis imperfectiones a Deo removentur. Sed si dicendum quod res est, *via eminentie & negationis* sunt quidem *occasiones cogitandi* de Deo, at demonstratio eorum, quæ de Deo cogitantur, fit per *viam causalitatis*, siquidem omne id, quicquid neque *error*, neque *peccatum*, neque *nihil*, pro S. Numinis operatione & effectu haberi debeat.

§. 3. In via causalitatis autem processus datur sequens: *Nihil nil potest*, inde fluit, quod, quicquid alterius causa est, id in se contineat *omnia illa, quæ in effectu deprehenduntur*, alioquin proveni esse hæc a nihilo statuendum esset, id quod implicat. Cum autem usu & experientia constet, multa in effectis reperiri, quæ *formaliter* in eorum causis haut dantur, ista consideratio invenit distinctionem inter id, quod *formaliter*, & inter id, quod *eminenter* in causa continetur. Hinc plures creaturarum perfectiones non semper formaliter, sed modo *eminenter* i. e. in perfectiori gradu & citra ullam imperfectionis notam Deo attribui possunt.

§. 4. Distinguiamus autem attributa divina in

I. *absoluta*, quæ de Deo concipiuntur *citra relationem ad creaturas*, utpote sunt *spiritualitas, sufficientia, eternitas, omniscientia, omnipotentia, unitas, simplicitas* &c.

II. *respectiva*, quæ Deo *in relatione ad creaturas* competunt. Hæc rursus sunt vel

1. *physica*, quæ *potentiam Dei* manifestant, utpote sunt *creatio, conservatio, providentia*. &c.

2. *moralia*, quæ ex perfectione *voluntatis* fluunt, utpote sunt *benignitas, veracitas, justitia*. §. 5.